S. P. Admodum Reverende Pater, Clarissime Doctissimeq; Vir. Libertate dicendi agendiq; ex usu
sobriæ rationis proveniente, nihil præstantius homini munere divino obtigisse, palam est. Huic dono cæ-
lesti, quod ingenuus quisq; maxime facit et impensè diligit, tum verò et jure æquo, quod homini in hominem
natura, Christiano in Christianum religio, literato in literatum Philosophia concessit, sed et Tuæ eximiæ
humanitati diffidere, ne dicam injuriam facere viderer, si epistolæ hujus libertatem operosè excusare
vellem. Aditum mihi ad Te paravit meum discendi à Te Viro doctrinâ Inclyto desiderium, Tuæ verò non
solum eruditionis latæ, altæ et profundæ, sed et humanitatis diffusissimæ laus celebratissima. Occa-
sionem præbet nuper in coelo visus insignis Cometa, ejusq; iter summâ curâ à Te observatum, descri-
ptum, et tum ad Serenissimum Ducem Brunsvicensem et Luneb. Augustum, tum ad R. P. Albertum
Curtium missum, quod vidi et teneo summa cum animi mei oblectatione, quæ ex studio Mathematico
provenit singularis. nisi quod mihi desit delineatio à Te facta, quam ut ad me mittas, per Tuam
humanitatem et nominis famam oro. Iter illud abs Te monstratum et designatum tenet Cl.
Christianus Busmannus Phil. et Med. D. ac Physicus Hannover. Ordinarius, protectione et muni-
ficentia Serenissimi Georgij Wilhelmi Ducis Brunsv. et Luneb. gaudens in literis suis nuper de hac ma-
teria ad me datis. Is sicut Te meritò magni facit, ita sibi gratulatur, Tuas observationes cum
suis convenire. Nempe enim statuit ille Cometam à rostro Corvi sub Tropicum Capricorni se demisis-
se, donec ad asterismum galli juxta canem majorem pervenerit, ut demonstret unum eundemq; -
fuisse Cometam. Te verò eodem loco eodemq; tempore d. scil. 27. Dec. phænomenon illud obser-
vasse (quod me alioquin et Coloniensis observatio docet) gaudet, ut et postera die in Cane Majore.
Dehinc d. 29. Dec. ille Cometam colligit fuisse in pede sinistro Canis, quod ferè convenit, cum Tua
observatione, quæ Cometam 8. gradu à Tropico versus Æquatorem tunc temporis ponit, nisi quod dif-
ferentia parallaxeos sit notabilis, quam Tu ipse indicabis. Dubitatio multorum animos haud levis
incesserat, an fuerit unus idemq; Cometa, an verò duo distincti Cometæ? Hoc suadere videbatur
diversus situs, diversum apparitionis tempus, et diversus motus. Primò enim ad rostrum Corvi plaga inter
Meridiem et Orientem media, ad Meridiem tamen magis vergente, deinde verò ad oculum Leporis pla-
gâ inter Meridiem et Occidentem media apparuit Cometa. Et ibi quidem ante ortum, hic autem post occa-
sum Solis: quanquam hoc non esse insolens, plura exempla doceant, inter quæ est illud à Scaligero exer.
79. allegatum, cum Carolus VIII. Rex Galliæ (circa ann. scil. 1500) Italiam vestram invasisset, quod
tamen ipse in dubium revocat. Quin et illic versus Austrum, hic versus Boream proprio motu progre-
diebatur Cometa. Accedebat et quorundam propè audax assertio, ex locis tamen diversis Suecia,
Dania et Germania profecta, de duobus distinctis Cometis una nocte visis. Dubium movere poterat
et breve 9. scil. dierum spatium, quo Cometa ab Hydra ad Leporem difficulter 82 gradus emen-
sus fuerit. Sed apud R. P. Curtium majoris autoritatis erant Hevelij unius, Magni illius Astronomi
et Senatoris Dantiscani à me ad illum, operâ Amici cujusdam Viri Excellentissimi missæ observatio-
nes accuratissimæ, quam contrariæ rationes narrationesq;. Atq; hæc sententia et aliorum
plurium Astronomorum Præstantissimorum consensu firmatur. Quem etiam perspicio in ad-
scribenda longitudine caudæ majori quam A° hujus seculi 18. fuerit. Insistit presso pede ve-
stigijs Tuis in hoc carpendo itinere Cometæ dictus Busmannus, dum ait Cometam non amisisse
postea caudam, ut nonnulli putabant, sed intensius Lunæ lumen imbecille et debile lumen caudæ
velut absorbuisse. Quod ipsum et alij Astronomi dicunt. Porrò quod in quarta, ut sic dicam,
Cometici itineris semita ponis. Astrologos eandem Martio-Saturninam definientes futilibus suis vati-
cinijs, non sine multorum periculo, urbem infatuasse, libenter video. Faciunt hoc et alibi, licet in
erectione thematum et constructione illarum domorum coelestium cometas, ni fallor, non collocent.
Inveniri et in his oris sunt, qui ex signo Libræ bellum religionis, ex alijs signis, ut Tauri et Arietis
Cornupetarum, hydræ aquaticæ, navis, Orionis armati et pugnam cientis, fluvij Eridani et Ceti
bellum navale prædicunt. Cæterum res ipsa docet bellum Britannos inter et Batavos, in quod inten-
dunt isti Astrosophi vates oculos, dum in signa illa, quæ permeavit vel attigit Cometes, ante ap-
paritionem illius apparuisse, nec de religione, quæ utriq; populo una, sed de regione, illa scil.

aerem

aurum sudante esse, et, si quidem lusus ingenij in coelo instituendus foret, inimitabili Batavorum solertiae Cancrum, et pertinaci Britannorum ferociae Arietem (quibus signis utraque natio subjecta est) inepte, et praeterito quidem Leone, quem et insignia et res fortiter terra marique gestae utriusque nationis demonstrant, quemque pariter percurrit Cometa, accommodari: tum et ad alias nationes urbesque, Cancro licet et Arieti subjectas, nihilominus tamen alta pacis abundantia usque ad invidiam luxuriantes, inter quas et florentissimae Italiae vestrae urbes, Neapolis, Florentia, Ferraria, Patavium, tum Genua, Mediolanum aliaeque conspiciuntur, eadem adversa eodem jure et itinere exemplo transferenda esse: tum denique, teste omnis aevi experientia, optima rerum magistra, praedictiones illas ex astris certae et infallibili veritati deputandas non esse. Ut taceam, pari jure non tantum ad Corvum et Gallum, quod etiam nonnulli faciunt, nec ad Leonem solum, quem res ipsa monstrat, sed et ad Craterem urna capacem, mero plenum —, ad canem rabidum, ad cancrum tardigradum, et gemellos tenellos, imo ad Virginem mollem, denique ad Leporem, quo nihil timidius, alludendum esse.

Caeterum res ipsa loquitur ista non posse commode ad castra etiam adversa (cum enim causae pariter in paria objecta operantes, prorsus contrarii tribuerentur effectus) transferri, nec ista de nationibus, de quibus sermo est, et proposito bello, sed nec bello in universum considerato, convenienter dici posse. Ingenium in talibus saepe agnosco, sed judicium saepius desidero. Ideoque censeo affectari hic jucunda magis, quam necessaria subtilitate, qualis illa Pythagorica de syderum musica, apud Plin. l. 2. c. 22. Ubi etiam supra c. 5 et 7. improbat, dum multi sustinent astro eventus assignare, et nascendi legibus ac praedicere futura, et haec singula improvidam mortalitatem involvere, solum ut inter ista certum sit, nihil esse certi ait. Allusionibus illis ad signa coelestia suppares apud eundem c. 25. leguntur. Dicant ergo Astrologi et omnes illi creduli Cometam terrificum magna ex parte sydus, ac non leviter piatum, verbis a Plinio mutuatis, cum tamen ipse paulo post dicat: Cometes in uno totius orbis loco colitur in templo Romae admodum faustus Divo Augusto judicatus ab ipso et interiore gaudio sibi illum natum, seque in eo nasci interpretatus est, et si verum fatemur, salutare id terris fuit. l. c.

Equidem soleo et ego ad talia, satis tuto, ut puto, respondere, si historiarum monumenta et vel propriam experientiam consulamus, multa mala ante vel etiam citra ullam Cometae apparitionem, multa etiam bona post eandem immitti mortalibus a Deo Creatore et Rectore universi, unicuique secundum opera reddente, quod nos toties Sacra pagina docet. Hanc meam sententiam Cl. Ismael Bullialdus, inter praecipuos seculi nostri Philosophos et Mathematicos merito ponendus (quod debitum laudibus Viri Praestantissimi testimonium Te mecum, cumque tot aliis daturum non dubito) in nuperis literis d. 6. Martij ad me Lutetia datis, gravi assensu firmavit. Rem spero gratam Tibi me facturum, si ipsa tanti Viri verba hic ponam. Sic igitur ille: Scriptis Astrologicis non immoror. Quamvis enim ignes illos in terrena agere non negaverim, aliquid praedicere certi, et ad personas, res vel loca effectus ipsorum determinare, possibile mihi non videtur: utque prudenter annotasti, plures insignes eventus per orbem terrarum visi non conspectis Cometis sunt. Ab Ao 1618. ad 1652. Europa nostra Cometam non vidit. Aut igitur stupendo illi Ao 18. hujus seculi viso causae omnium bellorum, cladium mutationumque assignandae erunt, aut multa Cometarum

praesi

phasi et operatione cessantibus contingere posse asserendum. Ridendumque
procul dubio cunctis cordatioribus Philosophis se praeberet, qui Cometae unius
effectus ad annos 34. extenderet, cum aeternorum corporum effectus ad tres
annos vix extenderint Astrologi. Haec ille. Hac occasione sententiam ejus
de nupero Cometa Tibi planeque exponam. Quod ad materiam ejus attinet, putat eam
affinem esse ac valde similem galaxiae, aetheream esse, nec unde nisi à galaxia
procedat, aut quo ipsa se recipiat, sciri posse. Neque vero ille facit cum Ampliss. D.
Ottone Gerichio Consule Magdeburg. Viro admirandis inventis (quorum non pauca
R. P. Casparus Schott S. J. Prof. Math. Herbipol. in lucem protulit) celeberrimo, qui
suppositis duobus perquam difficilibus et acerrime adhuc disputatis de motu telluris
et vacuo principiis, autumat Cometas provenire ex procellis, quae partem aëris a-
vulsam in sublime ferant (aërem vero leviorem reddi statuâ vitro aëris vacuo in-
clusâ et fundum petente, quod ipse multoties apud Filium ejus Serenissimi Elect. Brand.
hac in urbe Residentem vidi, demonstrare se affirmat.) ut ibi à radiis Solaribus il-
luminata veluti caudata conspiciantur. Adfert Cl. Bullialdus in rationem experi-
entiam omnium seculorum, quâ demonstravit in altissimorum montium jugis nul-
las procellas, nullosque ventos oriri aut sentiri. Quantum Gerrichianae sententiae
illa Epigenes apud Libav. tract. probl. de Cometar. nat. p. 44. Appiani apud
Keckerm. Syst. Phys. c. de Cometis, Cardani apud Scalig. exerc. 79. denique ipsius
Scaligeri faveat, fac, Vir Doctissime, ut sciam. Addo Ampliss. Gerrichium Come-
tas caudatos in suprema aëris regione, quâ illi nil nisi aura est (crinitos v.
extra auram in spatio puro existentes à terra et ambiente eam aëre separatos
esse, et forte quiescere, motu eorum ex motu terrae proveniente, putat) ponere.
Cl. autem Bullialdum adductâ Senecae sententiâ, qui Cometam supra Lunam
fulsisse censuerit, nuperum quoque supra Lunam evectum, die saltem 9. Jan.
Lunâ longe superiorem fuisse, asserere. Ad ultimum Vir iste longe Doctissimus
statuit, unum nobis eundemque visum fuisse Cometam. A qua sententia
ditus Dn. Gerrichius non est alienus. Cum autem Cl. Bullialdo antea signi-
ficaverim, quosdam in Germania, Dania, Sueciaque (nunc et Hyberniam addo)
qui duos distinctos fuisse Cometas defendant, ille et Clarissimi Amplissimique
Hevelii incomparabilibus observationibus plusquam aliorum rationibus vel etiam
narrationibus tribuendum esse statuit: et Praestantissimorum Italiae vestrae Ma-
thematicorum R. P. Joan. Bapt. Riccioli et Dominici Cassini observationes
diligentissime postremis diebus Dec. factas in testimonium adducit, quamvis has
nondum (sed tantum indices earum literas) accepisset, fide mihi datâ, se
mecum eas communicaturum. Tandem subjicit: Suecos interim, Danos et
Germanos monere debes, ut opinionem de duobus visis Cometis conceptam
deponant, nec in eum errorem induci se patiantur. Sed en Tibi, quod nu-
dius tertius ex Suecia a Jona Fornelio Prof. Math. in Acad. Upsaliensi
die

d. 14. 24. Febr. scripta accepi. Num posterior hic Cometa idem fuerit cum priori,
dubitant nonnulli. Ex historijs Cometarum traditum est, Cometam fuisse, qui
30. (forte errore calami positum est pro 40. quod satis notum est) gradus intra diem in
proprio circulo peregerit, quibus si fides habenda, certè non facilè afferemus,
impossibile esse hunc Cometam eundem esse cum priori. Tamen inaequalitas
motus aliud suadere videtur. Prior enim ille à d. 7. 17. Dec. ad 12. 22. ejus-
dem quinque videlicet diebus 10. gradus confecit, h. e. quolibet die duos gra-
dus. A 12. 22. Dec. ad 21. 31. ejusdem, cum hic posterior apparere
inciperet, sunt 9. dies: distantia verò inter locum prioris Cometae
discedentis & posterioris apparentis est ultra 100. gradus. Haec mo-
tus inaequalitas arguere videtur eundem non esse Cometam. Tantam
enim motûs inaequalitatem in uno eodemque Cometa nunquam de-
prehensam legimus, ut qui quamdiu apparebat, duos saltem gra-
dus quolibet die absolvebat, 9. dierum spatio, quibus à nostro con-
spectu abfuit, ultra 100. gradus conficeret. Haec ille. Hîc & ego
pedem figo, dummodo unum abs Te impetrem, ut me quamprimum beet Tuo
responso, et quidem tali, quod Systemati meo Cometico ex Clarissimorum Europae
Mathematicorum observationibus & judicijs, Deo favente, componendo, inseri queat,
praeter ea quae ad Serenissimum Ducem Augustum & R. P. Curtium à Te missa
habeo. Antequam finio, verbum addo. Piè & prudenter judicas praedictiones il-
las ab Astrologis, tanquam oracula, populo, multorum cum periculo obtrudi: cum sol-
licitas res novare, & vel in simpulo fluctus excitare audeat, nimiâ spe vel etiam despera-
tione praecipites acti, fati quandam necessitatem & astrorum efficaciam, manifesto ju-
stitiae divinae & libertatis humanae praejudicio, sceleribus obtendunt. Vale Adm.
Rev. Pater, & me multâ benevolentiae affectu prosequêre; literisque Tuis praesenti-
um exhibitori traditis eas rectè ad me perlatum iri ne dubita, quanquam si
vel directo Norinbergam itinere ad me mittantur, sat tutò pervenient, cum
nomen meum magistris tabellariorum Norinbergae & hac in urbe sit benè notum,
qui sum

Adm. Rever. P. T.

Hamburgi d. 18. Martij
S. N. 1665.

sincero studio & officio
addictiss.
Stanislaus Lubienietzki de
Lubienietz Eques Polonus